

† R. P. Antonius Rottier (1877 - 1953)

(Prov. Holl.)

Per formulam stereotypicam iuxta Constitutiones nostras confratres de morte R. P. Antonii Rottier certiores facti sunt, qui die 7 Novembris 1953 fidelis vocationi suae in sinu Congregationis mortuus est.

Moriens discessit a nobis tamquam unus ex illis antiquis sodalibus, qui in vocatione sua magnopere et iuste gloriabatur. Fundatus ac radicatus in actione Alfonsiana, facere non potuit quin usque ad finem vitae animas maxime derelictas omni quo potuit modo quaereret. Propria ac singulari indole praeditus, animum populi intelligens clareque perspicuus miseriam spiritualem, inivit novam methodum in cura animarum. Quoddam

igitur elogium de confratre defuncto exhibere liceat, ad quem, quinque lustris ab origine recessuum paroczialium praeterlapsis, parochus quidam gratulans atque laudibus extollens scripsit: « Sicut Pater Bernard (Hafkenscheid) auctor fuit ac promotor missionum, ita nomen tuum eius nomini uno spiritu adiungatur, qui auctor fuisti et promotor recessuum popularium, qui iure meritoque extensio missionum dici possunt atque supplementum ».

Natus die 17 Decembris in oppido St. Jansteen in Flandria-Zeelandica ditionis Neerlandicae, studiis humanioribus incumbere coepit in seminario Ypelaardiocesis Bredanae. Non vero longum tempus ibi moratus est, nam varias ob difficultates studiis valedixit. Domum vero paternam reversus, quietem optatam non invenit, voce interna eum ad sacerdotium ciente. Vicarius paroeciae, qui et ipse statum religiosum anhelabat et moderator spiritus eius erat, ei persuasit, ut studia reassumens admissionem peteret in Seminarium Culemborgense archidioecesis Ultraiectensis, cuius regimen et disciplina tunc temporis Patribus Societatis Iesu commissa erant. Admissione obtenta, illuc profectus est cum firmo proposito aut ingrediendi aliquem Ordinem vel Congregationem aut postea proficiscendi ad exteris Missiones. Ordo Fratrum Minorum Capuccinorum ei quidem arridebat, confessarius vero e Societate Iesu consensum non dedit; quem consensum neque obtinuit, cum confrater noster in spe nomen daturus erat Congregationi Missionariorum de Mill Hill. Quid nunc faciendum?

Valetudinis causa studia per aliquod temporis spatium interrumpere coactus, eodem tempore morabatur in sanatorio Kneippensi in oppido Heerlen. Dei Providentia gubernante, alium aegrotum comitans, Ruraemundam peregrinatus est

ad sacellum B.M.V. in Arena, cui domus nostrae Congregationis adiuncta est. Sacra Synaxi refectus, et ad pedes imaginis prodigiosae devotissime Matris coelestis intercessionem implorans, atque e suggestu aliquem e Nostris verbum Dei praedicantem audiens, primitus ingressum in Institutum nostrum cogitavit. Quam cogitationem, de die in diem fortiorem, sincere ac candide confessario suo patefecit; et qui antea ingressum in alium Ordinem vel Congregationem dissuaserat, nunc toto corde ac libenter consensum praebuit. In Iuvenatu, qui tunc temporis Ruraemundae erat, studiis per duos annos absolutis, noviciatum ingressus est anno 1901 et die 29 Septembris 1902 votis Deo et Congregationi perpetuis se devovit. Tandem die 7 Octobris 1907 voti compos factus, sacerdotii dignitate insignitus est.

Studiis theologicis peractis, laboribus apostolicis destinatus est. Illico apparuerunt magnae illae dotes, quas Deus ei tribuerat et quam verum fuisset testimonium a Patribus Societatis Iesu Seminarium relinquenti datum: « Est iuvenis praeditus aurea voce et stilo aureo ». Erat potens in sermone, voce gaudebat sonora ac molli, ornatissima actione et vi dicendi animos percutiens. Panem verbi Dei tam in sacris missionibus quam in exercitiis spiritualibus totam per patriam permultis frangere non desiit. Peculiariter meritis est ut fundator ac organisator recessuum paroecialium seu popularium. De origine huius apostolatus, tempore atrocissimi belli mundialis 1914-1918, fusius loqui hic non expedit; benevolum lectorem remittimus ad *Analecta* VIII p. 113 et seq. et XI p. 226, 289 et seq. De hoc opere apprime Alfonsiano illud Illustr.mi ac Rev.mi Domini Episcopi Ruraemundensis, L. Schrijnen, in memoriam revocare liceat: « Gratias ago Deo O. M. pro immenso bono, quod recessus populares effecerunt ». Totam provinciam Limburgi Neerlandici confrater noster peragravit et alias quoque patriae partes, docens per oppida et castella, praedicans Regnum Dei, transiens vere de domo in domum, non sibi parcens, saepe iterum atque iterum visitans sermonibus assistere nolentes, donec tandem victoriam de iis reportaret.

Sacram aediculam mobilem construi iussit, quam in efflorescente regione industriali carbonaria secum tulit in novos vicos, qui « coloniae » dicuntur, et in qua pro turmis minus numerosis una cum sociis suis veritates fidei praedicabat. Capellam istam etiam ponere solebat, si maior erat distantia ab ecclesia paroeciali.

Haec nova missionis forma in multis parochiis adhibita est et, Hollandia docente, in vicinas regiones, in Germaniam ac Belgium alioque introducta. R. D. Poels, S. Theol. Doctor, qui in regione carbo-fodinaria munere fungebatur, quod « Aalmoezenier van de arbeid » (eleemosynarius a labore) vulgo dicitur, aliquando etiam « Rex non-coronatus opificum » vocatus, hoc opus renovationis et consolidationis vitae catholicae summis laudibus extulit. Nam, una cum labore

sociali eminentissimi huius sacerdotis, recessus paroeciales, tempore opportuno instituti fortiterque peracti, id effecere, ut fides catholica, praesertim in regione fodinaria, incolumis permanserit, non obstantibus periculis perquam magnis a parte socialistarum aliorumque id generis. Quam magni confratres nostri, Episcopi Neerlandiae aliique sacerdotes hoc novum apostolatus genus fecerint, luce clarius apparuit anno 1942, annis 25 praeterlapsis a primo recessu. Archiepiscopus Ultraiectensis Exc. Ioannes de Jong, postea in coetum Cardinalium euectus, litteras gratulatorias ad confratrem nostrum P. Rottier misit, in quibus sic legitur: « Gratias Reverentiae tuae referimus pro incepto tuo, quod perfecisti. Nos enim scimus recessus populares fructus produxisse uberrimos ». Eodem modo alii Praesules patriae nostrae, aequae ac pastores animarum e clero saeculari et regulari, recessus eorumque fundatorem laudaverunt.

Tam strenua virium contentio Patrem Rottier coëgit iam anno 1924 laboribus tranquillioribus se dare. Hoc otium relativum invenit in domo Rosaevaldensi, in qua archisodalitati S. Familiae virorum praeficiebatur. Sub eius ardenti inspiratione post breve tempus haec sodalitas centrum facta est apostolatus laicorum. Sed ob deficientes vires anno 1928 etiam huic operi valedicere debuit. Viribus leniter recuperatis in domo recessuum Zenderen, minoribus in paroeciis et in domibus religiosiis verbum Dei praedicare denuo aggressus est.

Anno 1936 strenuus operarius noster alium apostolatum organisavit. Instituit unionem precum inter varias Congregationes atque Ordines, cui nomen dedit « *Sint Joseph, sorg* » (curam habe, Sancte Ioseph!). Finis huius unionis nullus alius est, quam ut omnes religiosi, tam viri quam mulieres, mutuo omnes aerumnas suas ac quas dicunt intentiones spirituales aequae ac temporales Institutorum suorum ac subditorum quotidie Christi Patri nutricio S. Ioseph commendent. Fere omnes Ordines et Congregationes in Neerlandia et in pristinis eius coloniis huic precum unioni se associaverunt, memores illius S. Scripturae verbi: *Frater, qui adiuvatur a fratre; tamquam civitas firma* (Prov. 18, 19), et *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (Mt. 18, 20). Per 17 annos i. e. usque ad mortem suam semel in mense pagellam in lucem edebat ad fervidam devotionem erga S. Ioseph stabiliendam, quae pagella etiam enumerabat omnes intentiones commendatas. Contigit confratri nostro, ut etiam in Belgium novam suam organisationem dilatare quiverit. Omnibus ibi compositis, revertens ex itinere in domum die 23 Iulii, apoplexia tactus est. Tres menses infirmitatis perfecerunt operarii huius apostolici animam. Divinae Voluntati plane deditus, obdormivit in Domino sabbato 7 Nov. 1953, sub patrocinio S. Ioseph, Patroni morientium, pro cuius honore tam multa operatus est. Sanctissimum Redemptorem eum introduxisse confidimus ad semper virentia et amoena loca paradisi. R.I.P.